

gnantia est etiam creaturis communis; cum hac tamen differentia, quod in creaturis non est cum summa actualitate conjuncta, quia creaturæ sunt contingentes, in Deo vero est conjuncta cum summa actualitate. Ergo ipsa non repugnantia ad esse est quodammodo prius ipsomet esse: Seu clarius: Potest ipsa non repugnantia quodammodo prius in ipso Deo concipi, quam ipsummet esse concipiatur. Et quanvis hujusmodi demonstrationes, sicuti & cæteræ hujus generis, videantur esse ejusdem per se ipsum, non sunt tamen ejusdem per se ipsum eodem modo cognitum, sed diverso; & quidem hæc ultima, uno conditionato, altero vero modo absoluto; ut in sequentibus clarius patebit. Hæc autem est demonstratio P. Magnani. Deus non repugnat. Ergo existit. Deum non repugnare, seu Deum non esse impossibilem, seu Deum non esse chimeram, etsi supponat a posteriori probatum, non per hoc creditur legibus demonstrationis quasi a priori contravenire. Illationem sic probat. Hæc est differentia inter ens contingens, & necessarium, quod in contingenti ex sui non repugnantia non potest ejus actualitas deduci. Non enim dicere possumus: Alter mundus non repugnat: Ergo existit. In ente vero necessario ex ipsius non repugnantia debemus necessario ejus actualitatem inferre. Unde si non repugnat, debet necessario existere; aliter non esset ens necessarium, & a contingenti, sibi opposito, contradistinctum. Nemine autem Dei ens summe necessarium venit; ergo Deus, quum non repugnet, existit. De hac demonstratione hæc scribit P. Saguens ar. 5. assert. 1. n. 19. *Ubi obiter observatur, divinam existentiam, qua rigore loquendo non potest, nisi a posteriori demonstrari, videlicet per illius attributa, aut in se ipsis, aut in creaturis splendens, nihilominus hac via demonstrari aliquatenus a priori, quatenus concipitur, non jungi ea, que repugnat jungi: & ideo junctioni præire non repugnantiam junctionis. Quare possibilitas, sive non repugnantia entis a se præostensa, est veluti quædam, ut agebam, divina existentia probatio a priori.*

Argumenta, quæ in contrarium proponuntur, primo erunt illa, quæ omnes universim demonstrandi modos impugnant; deinde alia, quæ peculiare demonstrationes exagitant. I. Cacheranus in theol. assertiva tract. 1. de Deo uno lib. 1. de exist. & essent. Dei cap. 1. §. 2. assertit; *Deum existere nullatenus potest demonstrari a priori.* Hoc deinde explicans, subdit: Dixi nullatenus,

ad excludendam, non solum demonstrationem, quæ est a priori per medium prius physice, sed etiam eam, quæ est per medium prius solum metaphysice. Ultimo loco sic probat: Existentia Dei nullam habet causam; seu rationem, nec physice, nec metaphysice, se priorem: ergo nullatenus potest a priori demonstrari. Pro prima parte antecedens non negatur, pro secunda probatur. Existentia Dei metaphysice est prima perfectio Dei; ergo nullam habet causam metaphysice se priorem. Probatur etiam antecedens. Existentia Dei est ipsamet aseitas Dei; atqui aseitas Dei est prima perfectio Dei, utpote formalissima essentia Dei: ergo existentia Dei metaphysice est prima perfectio Dei. Major est certa, quia aseitas est esse a se; esse a se est existere a se; ergo existentia Dei formalissime est ipsamet aseitas. Minor etiam est evidens, quia constitutum divinæ essentia per multos, & per ipsum Cacheranum, est aseitas.

Respondemus ad hoc argumentum, primum genuinum, & formalem conceptum aseitatis non esse existentiam, sed esse independentiam; & Deum esse a se, quia a nemine dependet, sed a se solo habet quæcunque habet. Et quum inter cæteros modos dependentiæ adnumeretur quoque dependentia in existendo, quemadmodum adnumeratur dependentia in operando, &c. inde est, quod existentia a se non est formalissime ipsamet aseitas, sed est quædam species aseitatis, independentia scilicet in existendo. Et quia magis late patet independentia totalis, quam peculiaris, & talis independentia; propterea existentia, quæ est independentia talis & partialis, bene inferri potest, & inferitur, ex aseitate, quæ est totalis, plena, ac omnimoda independentia. In forma igitur distinguitur major ultimi argumenti: Existentia Dei est ipsamet Aseitas Dei, peculiaris, conceditur; totalis, plena, ac omnimoda, negatur. Distinguitur pariter minor: Aseitas Dei est prima perfectio Dei, utpote formalissima essentia Dei; aseitas plena, omnimoda, ac totalis, conceditur; aseitas talis, scilicet in existendo, ac proinde peculiaris, negatur; & negatur etiam consequentia.

II. Arguunt Adversarii. Nihil potest per se ipsum demonstrari; sed formalissime divina essentia est divina existentia: Ergo nequit existentia Dei per divinam essentiam demonstrari. Major propositio est innegabilis; quia idem non potest esse prius, & posterius, seipso; non potest, neque metaphysi-